DENDROBIUM.[1]

Dendrobii species SWARTZ.

2. DENDROBIUM ACUMINATUM. †

D. caule monophyllo; folio oblongo, acuto; spicis subgeminis; foliolis calycinis exterioribus lanceolato-linearibus, acuminatis.

Crescit in arboribus sub cœlo temperato, juxta pagum Pomahuaca, alt. 560 hex. (Prov. Jaen de Bracamoros.) ♃ Floret Augusto.

[1] Species valde dissimiles in unum conjeci genus, charactere solo illo congruentes, quod foliola exteriora lateralia calycis labello adnata sunt. Vix dubito, eas aptius describendas esse in tot genera, quot sectiones indicavi. Id tamen integrum relinquo botanicis historiam hujus familiæ diligentius scrutantibus, quibus major copia Orchidearum et præsertim specierum nostrarum in statu vivo suppetent.